

ONTOLOGIA.

ENS. Id quod existit, aut saltem existere potest.

Ens dividitur in $\left\{ \begin{array}{l} \text{ens reale....} \\ \text{ens rationis} \end{array} \right. \left\{ \begin{array}{l} \text{actuale} \\ \text{possibile} \end{array} \right.$

Ens reale. Id quod habet vel potest habere esse in rerum natura. Quo sensu dicimus mundum, homines, Deum esse entia.

Ens actuale. Id quod habet actualiter existentiam in rerum natura. Ex. *Deus, hic homo quem modo vides.*

Ens possibile. Id quod existentiam actualiter non habet, sed potest habere. Ex. Quidquid menti occurrit quod non resultat notis sibi repugnantibus.

Ens rationis illud est quod neque existit neque existere potest in rerum natura, sed suum totum esse habet in apprehensione mentis, seu est id quod habet esse objective tantum in intellectu. Ita *tenebrae* v. g. sunt ens rationis, quia nihil sunt in rerum natura nisi privatio lucis.

DOTES ENTIS. Sunt numero novem, quae sic enumerantur :

Prima. Ens est maxime transcendens.

Secunda. Ens ut quid simplicissimum menti exhibetur.

Tertia. Ens est quid communissimum, inclusum nempe in omnibus sive genericis, sive specificis, sive